

hærentiæ modo. Et tum communis ferè sententia, multa inesse ex parte naturæ specificæ, quæ disponant ad operationem cuiq; speciei convenientem; Et quidem in Intellectu inesse hoc lumen, quo naturaliter dispositi sumus ad principiorum primorum perceptionem. Attn. ut Intellectus ista principia intelligat, & habitu isto utatur, adhuc requiri species intelligibiles ad terminos ipsos principiorum notionumq; apprehendendos. In eo ergo convenit habitus principiorum cum reliquis, ut contra Capreolum differunt Scholastici: manetq; adeo verum axioma, Intellectum esse in pura potentia suorum objectorum. Magnum hujus doctrinæ argumentum est, quod principia ista sint complexa; Quod si ergo complexum inest, utiq; & termini simplices. Nunc ergo perpende omnia illa, quæ nobis nota dicuntur; & videbis terminorum simplicium copiam, vg. Entis, totius, partis, majoris, minoris, æqualis, inæqualis, similis, dissimilis: honoris, cultus, parentum, justitiæ, injustitiæ, ablationis, appositionis, & quid non? Quod si hæ species sint actu connatæ, quid ni & aliæ? Accedit quod ad principiorum hunc complexum, haud sufficiat qualiscunq; terminorum notitia; sed talis insuper connexio, quæ necessariâ, & evidentissima sit, omni demonstratione aut probatione major & illustrior. Eo namq; ipso principiorum iste habitus distinguitur ab alijs habitibus omnibus. Versatur quippe circa primas ac summas (loquar cum alijs) veritates; idq; sine discursu syllogistico, & medio concludendi; simplici contentus Judicio naturaliter insito; non sine præcognitis tamen, sed quæ in terminorum simplicium notitia consistant; quorum apprehensione factâ, sponte naturæ sequitur judicium de mutua terminorum illorum connexione; idq; summa cum evidentia, certitudine, facilitate, ac promptitudine: Per lumen v3. illud naturale, quo intellectus, ut dixi, instructus est, & in proxima potentia constitutus ad horum cognitionem. Deducitur autem ad actum, per comparisonem immediatam luminis Intellectualis ad objectum propositum: cujus illustratione species resultant, & Intellectui representatæ, percipiuntur. Quod ex modo Intellectionis suo loco patebit. Non immerito ergo dicitur *habitus naturalis*: ipsoq; *Potentia intellectiva, luminisq; naturalis*